


eorum nominato Chestendefin, in die quinto, circa principium noctis, uidebatur Saturnus sub humero meridiano uirginis duobus digitis. Hæc autem consideratio fuit à principio Nabuchodonosaris in anno 519. 14. die mensis Tobi, quinti, scilicet, transacto, circa principium noctis, dum medio cursu Sol peruenisset ad 6. grad. & 10. min. Piscium. Huius autem stellæ fixæ secū dum numerationē Ptolemæi locus fuit in primo anno Antonini in 13. grad. & 10. min. Virginis. Sed inter hanc considerationem antiquam, & primum annum Antonini fuerūt anni Aegyptij ferè 366. quibus de motu stellarum fixarum respondent 3. grad. & 40. min. ferè. Quos si à 13. gradibus & 10. minutis dempserimus, manebit locus huius stellæ in 9. grad. & 20. minut. ferè Virginis. Similiter aux Saturni, quæ tempore Ptolemæi fuit in 23. grad. Scorpionis, tunc erat in 9. grad. & 20. minut. ferè Scorpionis. ¶ Describamus igitur figuram, qualem superius pro Ioue posuimus, nisi quod epicyclum hic aliter, & Planetam in epicyclo, locūq; Solis medium, quemadmodum in hac consideratione accidit statuamus. Erat autem in hac consideratione & locus augis notus & locus Planetæ, quare angulus AET cognitus. Sed & medius locus Solis patēs, quare angulus AEL inuētus. Et ideò totus angulus TEL cognitus, cui æqualis propter æquidistantiā linearū EL & BT, angulus ETB, unde angulus BTN cognitus. Sed angulus N est rectus, fit igitur proportio BT semi-diametri epicycli ad BN nota. Sed propter angulum AET notū, siue AEM, & angulū M rectum fit proportio DE ad DM nota. Vtraq; igitur linearum DM & BN, respectu semidiametri eccentrici nota erit. Est autē DM equalis NS, hinc nota BS cognita. Cum igitur angulus

S sit rectus, & DB semidiameter eccentrici, erit angulus B D S notus. Sed angulus A D S notus est, quoniam æqualis angulo A E T noto, quare erit totus angulus B D S cognitus, & erit utraq; linearum DG & KF respectu DF, & etiā respectu semidiametri eccentrici nota, hinc erit linea BK nota, ex qua & linea KF, innotescet linea BF, unde etiam angulus D B F scitus erit.



Sed ex duobus angulis B D F & D B F, iam notis cognoscetur angulus extrinsecus AFB, qui est distantia media ab auge eccentrici. Et quoniā locus augis est notus, erit medius locus Planetæ cognitus. Sed medius locus Solis in hac consideratione constat, hinc manifestabitur distantia inter duo loca Solis & Planetæ media. Quæ quidem æquatur distantia Planetæ ab auge epicycli media, unde ipsa nota erit. Constabit igitur tandem motus medius Planetæ in tempore, quod mediat inter duas considerationes, quarum una erit tertiæ habitudinis, & alia quam sub mani-

T 3 bus